

sident, quando exigit residentiam personalem, esto ad ejus titulum sint ordinati; Ecclesia enim non tenetur pigros, & rebelles alere.

119. Denique vacant beneficia per crimen a beneficiario commissum: ut hæresis externa, crimen læsæ majestatis humanæ, percussio Cardinalis, aut Episcopi, Rectoris suæ Ecclesiæ, aut litigantium in

TRACTATUS TRIGESIMUS TERTIUS

DE SIMONIA.

CUM simonia præcipue circa collationem, & receptionem ordinum, & beneficiorum prohibeatur: ideo post tractatus de ordine, & beneficiis, tractatum de simonia discutiendum ducimus juxta mentem D. Thomæ, qui de illa agit 2. 2. q. 100.

CAPUT I.

De essentia, & divisione simoniæ.

PUNCTUM I.

De natura simoniæ, ejusque gravitate.

1. Inq. 1. Quid sit simonia? R. Est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vel vendendi rem sacram, seu spirituales, vel spirituali annexam pro temporali. Ponitur sacrilegium loco generis, in quo convenit cum perjurio, fractione voti, & aliis sacrilegiis: omnis enim indigna tractatio rerum sacrarum opponitur virtuti religionis, & ad sacrilegium reducit. Additur consistens in studiosa voluntate: per hæc deliberata, & libera voluntas declaratur, & simul subjectum hujus vitii, quod est voluntas: ubi vitia omnia contra religionem recipiuntur, sicut in intellectu illa, quæ fidel directe contrariantur. Emendi, vel vendendi: quibus verbis omnis contractus non gratuitus intelligitur, sed onerosus, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, aut transactio.

2. Additur rem sacram, seu spirituales, vel spirituali annexam: per quod ea omnia

Curia, assassinatus, & alia delicta, quæ videri possunt in laudato cursu Salmanticensi Tract. 28. ubi etiam explicantur alii quatuor modi, quibus beneficia extinguuntur, seu alterantur, suppressione, dismembratione, divisione, & erectione Ecclesiæ. Nos enim, brevitati consulentes, solum ea, quæ pro communi conscientiarum regimine sufficiunt, promisimus.

intelliguntur, quæ a Deo auctore supernaturali proficiscuntur, aut ad Deum salutis æternæ auctorem ordinantur. Hæc autem sacra, seu spiritualia sunt in triplici differentia. Alia secundum suam substantiam sunt spiritualia, ut gratia, virtutes infusæ, dona Spiritus sancti, & similia. Alia sunt supernaturalia, seu spiritualia active, seu causaliter, quia licet in se, & secundum substantiam corporalia sint, efficiunt tamen aliquid supernaturale, vel spirituale: ut sacramenta, quæ sunt causativa gratiæ, & aliorum donorum, quæ ad illam consequuntur: ad quæ reducuntur sacramentalia: ut aqua benedicta, catechismus, & alia hujusmodi. Alia sunt spiritualia effectualiter, id est per modum effectus, quia per se sunt ex spiritualibus causata, utpote ex potestate spirituali procedentia, vel operationes ad eam ordinate: ut dispensare in voto, matrimonio, absolvere a censuris: vel pœnis, & alii quicumque actus jurisdictionis spiritualis, sanitas per gratiam miraculorum producta, preces fundere, cantare in choro, mortuos sepelire, & similia.

3. Item alia sunt spiritualibus annexa antecedenter, ut beneficia omnia ecclesiastica, quæ ordinem clericalem supponunt: alia consequenter, quia rem spirituales consequuntur, & in temporali fundantur, ut vestes sacre, vasa sacra, candelæ benedictæ, templa, aut jus patronatus præsentandi ad beneficia. Hæc omnia nomine rei spiritualis, vel spirituali annexæ in hac definitione intelliguntur. Denique additur pro temporali, quod est pretium oblatum in contractu. Hoc autem potest esse manus a manu,

Cap. I. De essentia, & divisione simoniæ.

a manu, munus a lingua, vel munus ab obsequio, ut mox dicemus: in hoc enim tota malitia simoniæ consistit, quod res spiritualis deprimitur, & abjicitur, cum rebus vilibus temporalibus æquiparatur, emitur, conducitur, aut locatur. Unde simonia dicitur a Simone mago, qui gratiam faciendi miracula pecunia emere voluit.

4. Inq. 2. An detur parvitas materiae in simonia? R. neg. Nam vel parvitas materiæ se tenet ex parte pretii, & tunc, quo minor est quantitas pretii, tanto gravior dignitas rei spiritualis contemnitur; aut se tenet ex parte rei spiritualis, & hæc, quantumvis in se parva sit, dum venalis fit, gravem patitur injuriam. Quod tenet non solum in simonia contra jus divinum, sed etiam in simonia contra jus ecclesiasticum. Unde tantum ex inadvertentia, vel ex imperfecta deliberatione potest dari parvitas materiæ in simonia.

5. Inq. 3. Qui possunt contrahere simoniæ crimen? R. Quod, si simonia sit de jure divino, aut naturali, omnes homines possunt illam committere, etiam summus Pontifex, ut si rem sacram venderet: quia ipse jure divino, sicuti alii, tenetur. Quæ ratione dixit D. Thomas 2. 2. q. 100, art. 1. ad 7. quod Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo... Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis dispensatoris: non tamen sunt ejus, ut domini, & possessoris. Si vero simonia fuerit de jure ecclesiastico, licet cæteri illam incurrere valeant, non tamen Pontifex, quia talia jura conditionate procedunt, nisi Papa dispenset. Quapropter nec incurreret pœnas jure ecclesiastico taxatas, qui cum Papa simoniace contraheret; quia tunc cum illo dispensare censetur.

PUNCTUM II.

Divisio simoniæ.

6. Inq. 1. Quotuplex sit simonia? R. Est multiplex. Primo enim dividitur in simoniam contra jus divinum, seu naturale, & in simoniam contra jus ecclesiasticum. Prima est, quæ prohibetur jure divino, aut naturali, & quæ solet dici prohibita, quia mala: hæc committitur, quoties res, quæ ex se spirituales sunt, aut spirituali-

bus annexæ emuntur, vel venduntur. Simonia contra jus ecclesiasticum est, quæ prohibetur a jure ecclesiastico, & ideo dicitur mala, quia prohibita: ut est permutatio, vel resignatio beneficiorum. Insuper emptio, vel venditio aliquorum officiorum temporalium Ecclesiæ: ut economi, Sacristæ, aut procuratoris, quæ ab Ecclesia ut simoniace prohibentur in cap. Salvator 1. quæst. 3.

7. Secundo dividitur simonia in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Mentalis est, quæ intra mentem sistit, omni pacto, & conventione exteriori sublata. Hæc simonia dupliciter contingere potest. 1. Quando quis intra se deliberat simoniam committere. 2. Quando exterius aliquid munus offert prava intentione accipiendi, tamquam pretium, aliquid spirituale, quin extrinsecus nec explicite, nec implicite indicet se munera ista præstare, ut pretium rei spiritualis. Conventionalis, quæ oritur ex mentali, est conventio externa, expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali, sed ex neutra parte executioni mandat, vel tantum ex una. Realis est, quæ ex mentali, & conventionali oritur, & addit traditionem realem. Hæc autem potest esse vel completa, vel incompleta. Est completa, cum adest traditio ex parte utriusque, vel saltem rei spiritualis. Est incompleta, cum adest traditio pretii temporalis, non vero rei spiritualis.

8. Confidentialis est, cum quis beneficium ecclesiasticum procurat, eligendo, præsentando, & resignando, aut alia via cum confidentia, seu pacto expreso, vel tacito, ut si ille, cui procuratur, resignet vel procuranti, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus ex eo reddat, quod multipliciter fieri potest, ut infra dicitur. Potest etiam dari simonia per procuratorem cum mandato, vel sine mandato. Si fiat cum mandato, acceptio beneficii est nulla, & accipiens incurrit pœnas simoniaci. Si fiat sine mandato, vel fit ab amico, vel inimico accipientis. In primo casu acceptio beneficii est nulla, sed pœnas non incurrit accipiens ignorans facti; in secundo valida est acceptio beneficii, & idem est, si contradicatur pactum simoniacum ab amico procuratum.

9. Inq. 2.

9. Inq. 2. An sit vere simonia, & rationem formalem simoniae sortiatur illa, quae solo jure humano prohibita dicitur? R. affirm. Quia Ecclesia potest sua lege constituere, ut res aliqua sit intra aliquam virtutem, verb. grat. religionis, ad quam non pertinebat, illam praecipiendo, aut prohibendo ex motivo, aut affinitate ad talem virtutem, ex cujus motivo praecipitur, aut prohibetur. Ut quando prohibet percussorem clerici ob reverentiam ordinis: effusionem sanguinis, aut seminis in Ecclesia, & extractionem delinquentis ab illa ob reverentiam loci sacri: horum praceptorum transgressio, supposita tali prohibitione, est sacrilegium, quia per tales leges intra virtutem religionis eam materiam constituit; quamvis alias ad talem virtutem non pertineret. Unde non satisfacit in confessione transgressor, dicendo: *Semel fragi praceptum Ecclesiae*; sed explicare debet materiam, in qua illud fregit, ut sic species peccati declaretur.

10. Objc. Quia vel res, quae venditur, est spiritualis, vel non: si primum, simonia ibi commissa erit juris divini, & naturalis; si non est sacra, venditio nullatenus erit simoniaca: quia prohibitio ecclesiastica non mutat rerum naturas: unde sicut Ecclesia non potest efficere, ut id, quod natura sua sacrum, & spirituale non est, fiat tale; ita nequit facere, quod haec venditio sit simonia, quae simoniaca non erat, cum non versetur circa materiam non suam. *Confirm.* Sicut Ecclesia prohibet vendere officia aëconomi, sacristae, castaldi &c. Ita etiam bona temporalia Ecclesiarum, scilicet domos, agros, villas &c. Sed horum venditio non est simonia, ergo nec illorum.

11. Resp. Quod licet res, quae ab Ecclesia prohibentur vendi, non sint intrinsece, & absolute sacrae, sunt tamen extrinsece, quatenus subsunt pracepto ex motivo religionis: nam hoc ipso, quod ex motivo religionis prohibeantur ob majorem reverentiam rerum sacrarum, intra materiam religionis constituuntur; non quia praceptum naturas mutet, sed quia illas per respectum ad religionem venerabiles, & invendibiles reddit. Ad confirm. resp. Quod Ecclesia prohibet alienationem bonorum temporalium, non ex mo-

tivo religionis, sed propter commoditatem temporalem Ecclesiarum: cujus signum est, quod etiam gratuita, & liberalis donatio tali prohibitione continetur, e contra vero officia ecclesiastica, ut gratis, & liberaliter impertiantur, in jure commendatur, & solum, ne vendantur, praecipitur: quia ex hoc magna reverentia Ecclesiae resultat, simulque omnis simoniae species abigitur.

12. Inq. 3. An sit vera, & realis simonia, prout distinguitur a conventionali, per solam rei spiritualis traditionem, credita, non exhibita pecunia, aut pretio pro ea oblatis? R. Simoniae realem committi traditione rei spiritualis, licet pecunia, aut pretium differatur. Nam alii contractus perficiuntur per traditionem rei venalis, etiam si pretium nondum traditum sit, ergo si res spiritualis sit tradita sub promissione pretii futuri, jam intelligitur consummata simonia, & irreligiosa rei sacrae traditio. Ex quo infertur, quod si solum pretium, non res spiritualis, traditum sit, non erit simonia realis, sed conventionalis: quia adhuc contractus non est consummatus; hic enim per traditionem rei venalis perficitur.

13. Inq. 4. An factus simoniacus veram simoniam committat? R. Fictus simoniacus est, qui pretium promittit pro beneficio, animo non se obligandi, neque tradendi illud. Omnes affirmant hunc gravissime peccare, tum quia opus externum simoniacum efficeret, & perniciosum mendacium perpetraret, se infamando, & alterum decipiendo. Tum quia ad simoniam alterius proxime, & efficienter concurreret, poenasque pro simoniaciis impositas in foro externo luere debet. Ceterum in foro conscientiae, & coram Deo dictas poenas non incurrit, unde potest retinere beneficium a legitimo collatore obtentum: quia vere ibi nec simonia mentalis, nec conventionalis, nec realis invenitur. Non mentalis, quia ibi non datur voluntas studiosa dandi, aut pactandi rem temporalem pro spirituali; non conventionalis, aut realis, quia ista mentalem supponunt, ergo non datur ibi vera, & formalis simonia: quidquid dicat Concina. Porro fide promittens non est verus promissor, nec tenetur ex vi promissionis, nisi ex alio capite ei stare teneatur. Si-

mi-

militer fide professus non ligatur tribus votis religionis, licet peccet in fictione, & sic de ceteris.

PUNCTUM III.

De pretio simoniam constituinte.

14. Inq. 1. Quotplex sit pretium simoniam constituens? R. Et triplex: nempe *munus a manu, munus ab obsequio, & munus a lingua*. Constat ex cap. *Salvator* 1. q. 3. *Munus a manu* est pecunia, sive numerata, sive credita, sub qua omnes res temporales pretio aestimabiles comprehenduntur. *Munus ab obsequio* est quodcumque hominis opus, quod ad usus, & commoditates ejus ordinatur, sive sit obsequium, sive causam illius promovere, illi assistere, illum comitari, docere, instruere, defendere. *Munus a lingua* est favor, laus, preces, supplicationes, adulationes, intercessionis, & alia ejusmodi: quia haec omnia sunt pretio aestimabilia. Quae munera, si praesententur, aut promittantur Ecclesiae, collatori beneficiorum, electori, vel patrono, vel amicis eorum, pro praesentatione, electione, vel collatione, vel culibet alteri pro traditione rei alicujus spiritualis, proculdubio simonia committitur, & hoc sive in parva, sive in magna quantitate.

15. Inq. 2. An semper, ac datur aliquid spirituale pro munere a manu, ab obsequio, vel a lingua, aut e contra, committatur simonia? R. Quod si haec tria munera, aut unum eorum offeratur tamquam pretium, aut intentione obtinendi, vel conferendi beneficium spirituale, tunc simonia committitur: quia tunc intuitu mercedis conferuntur. Si vero hujusmodi munera non ut pretium conferantur, sed ut donum gratuitum: v. g. ex benevolentia, amicitia, gratitudine, & sine ullo pacto, conventionem, aut conditionem, non erit simonia: quia in hoc casu non habent rationem pretii, nec virtualiter. Similiter non erit simonia, si munus pro aliquo justo titulo debetur: ut pro sustentatione ministris, pro stipendio, pro extraordinario labore, pro redemptione vexationis: quia licet tunc ex justitia tale munus debeatur, non tollit, quod absolute gratis ipsa res spiritualis conferatur. Nota ta-

men, quod traditio pecuniae, vel promissio rarissime muneris gratuiti rationem habet. In munere ab obsequio, & lingua minus raro inveniri valet; semper vero oblatio hujusmodi munerum est periculosa, & causa, vel occasio alterius peccati, v. g. injustitiae in conferente beneficium indigno, aut digno, omisso digniori.

16. Inq. 3. An inter munera a manu sit computandum mutuum? R. affirm. Quia hoc ipso, quod adsit pactum, conventio, vel conditio mutuandi, & beneficium conferendi, talis obligatio pretio aestimabilis est. Preterquamquod mutuum quid temporale est, & secum commodum, & utilitatem afferens: unde qui mutuaret pecuniam pro obtinendo beneficio, vel pro alia re spirituali, aut beneficium conferret sub conditione pecuniae mutuandae, simoniam committeret. Et idem est de dilatione debiti solvendi: quia ibi virtualis mutuatio intervenit.

17. Inq. 4. An conferre beneficium titulo consanguinitatis, vel affinitatis sit simonia? R. neg. ita D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. quia hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia. Peccaret tamen gravissime contra justitiam, si consanguineum praerferret digniori. Si vero consanguineus esset dignus, & per respectum ad consanguinitatem principaliter beneficium ei conferret, venialiter peccaret, quia in ordinate provideret: deficit enim debita intentio in collatione rei spiritualis, nunquam tamen est simonia.

18. Perpetraret simoniam Episcopus, aut alius elector conferens alicui beneficium, si conveniat cum eo, vel cum alio tertio de pensione sibi, aut alteri solvenda, si alias pensionem non fuisset imposurus, quia non licet Episcopis hoc gravamen in ipsa collatione imponere, quod alias beneficium ipsum ex se non haberet: & cum hujusmodi gravamen sit pretio aestimabile, cum pactone illius beneficium conferre proculdubio est simonia. Idem dicimus de illis, qui in Romana Curia pensionem solvendam, aut aliquid aliud

aliud pretio æstimabile spondent alicui, aut aliis quibuslibet, ut auxilium, favoremque præbent ad beneficium obtinendum.

19. Inq. 5. An sit simonia alicui promittere, donare, aut legare rem temporalem, ac pretio æstimabilem sub conditione, aut modo, ut ab eo obsequium spirituale præstetur, non per modum restitutionis, seu commutationis, sed in commodum, & utilitatem rem spirituales exequentis? R. neg. Quia nullus datur contractus onerosus, & reciprocus; sed liberalis donatio, nec ulla donatio imponitur obligatio. Erit vero simonia, si imponatur donatio obligatio simpliciter talis: aut si conditio sit in commodum temporale donatoris. Unde si parentes filii munera promittant, ut sacramenta frequentent: si Christianus infidelem donis alliciat ad baptismum suscipiendum; si catholicus nuptias promittat mulieri hereticæ; si catholicam fidem susceperit, si quis puellæ promittat dotem, dummodo religionem ingressa fuerit: in his casibus nulla committitur simonia propter rationem dictam.

PUNCTUM IV.

Alia dubia de eadem materia.

20. Inq. 1. An sit simonia beneficium conferre, vel aliud spirituale cum pacto, ut beneficiarius aliquid onus, vel obsequium subeat? Pro responsione supponimus. 1. Quod, si beneficio ponatur conditio, quæ de jure inest, & eo modo, quo inest, non est simonia: quia solum imponitur onus, ad quod est jure obligatio. 2. Quando beneficium est annexum onus docendi, legendi, vel canendi, nulla est simonia conferre ejusmodi beneficia cum conditione implendi præfata onera: quia jam illud onus beneficio erat annexum, & cum illo debet transire, & sic conditio quasi inest de jure, estque explicatio, aut intimatio obligationis, ad quam beneficium recipiens tenetur. 3. Quod Episcopus cum capitulo potest præbendæ vacanti onus aliquid honestum, & moderatum, cedens in utilitatem Ecclesiæ annexere, ut cantandi, docendi, vel prædicandi. Ex cap. Significatum, de præbendis; his suppositis:

21. Respond. Esse simoniam, si ipsi recipienti beneficium onus personale imponatur ipsi beneficium nullo modo annexum: quia licet in aliis rebus spiritualibus possit dari permutatio unius cum alia, vel res spiritualis dari cum onere præstandi obsequium spirituale, vel aliam rem spirituales sine simonia; in beneficiis tamen omne pactum, omne onus, omnisque modus, vel conditio, quæ de jure non insunt, aut jam annexa non erant beneficio, ejus collationi, remissioni, vel resignationi adjecta sine licentia summi Pontificis, simoniaca sunt. Et ratio est, quia hoc Ecclesia prohibet in reverentiam rei spiritualis: quia in his omnibus beneficium spirituale concederetur, vel relinqueretur cum onere, ut fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali, & immediata eam habendi. Unde hoc omnino prohibetur cap. Quam pio r. q. 2. Ubi omnis pactio, omnis conventio in collatione, vel resignatione beneficiorum, ut simonia vetatur.

22. Hinc sequitur simoniam esse renuntiare beneficium in favorem alicujus, ut ille vicissim renuntiet in favorem alterius. Similiter si in aliqua electione ad beneficium unus suffragetur pro Petro, et Petrus, vel alius suffragetur pro illo ad aliud beneficium. Vel si electores inter se conveniant, ut electiones vicissim faciant in gratiam, ita ut hac vice eligatur unus in gratiam hujus electoris; altera vice alius in gratiam alterius, & sic de aliis casibus.

23. Inq. 2. An committeret simoniam, qui pecunias daret, non collatori beneficii, vel ordinis, sed mediatori, intercessori, ministro, famulo, alterive personæ, ut preces, vel intercessionem interponeret cum Episcopo, ut ab eo ordinationem, vel beneficium recipiat? R. 1. Esse simoniam, nedum ex jure ecclesiastico, sed etiam ex jure naturali, & divino, si aliquid pactum, conventio, vel conditio intercedat. Quod sit de jure Ecclesiastico constat ex Extravag. 2. de simonia, ubi dicitur: *simoniam committit, cum pecunia datur pro collatione, electione, presentatione, favore, intercessione, seu mediatione.* Et in cap. præsentium 1. q. 5. Urbanus II. damnat ut simoniacum eum, qui dedit cuidam pecuniam, ut sua intercessione

sione ab Episcopo ordines obtineret. Et ratio est, quia ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 100. ars. 2. ad 5. simonia est, per pecuniam parare sibi viam, ad rem spirituales obtinendam. Est etiam simonia de jure naturali, & divino, quia in hoc casu, moraliter loquendo, virtualiter censetur pecuniam pro ipso beneficio tradere, quod divino, naturalique jure prohibuitur est.

24. Resp. 2. Quod si pecunia detur mediatoribus, non pro ipsis precibus, sed pro labore, compensatione damni, vel lucri emergentis, aut, ut præcise sua merita proponat, & notificet Prælato, ut inde moveatur ad ordinationem, aut beneficium ei conferendum, tunc casus speculative non erit simonia: vel quia est quid accidentale, & non influens in collationem beneficii: vel quia finis proximus est adquisitio bonæ famæ. Sed in praxi valde periculosum est, omninoque cavendum, vix enim sine labe simoniæ exerceri valet.

25. Inq. 4. An simoniam committat, qui magnam pecuniæ summam in eleemosynam impendendam promittit alicui monasterio, vel pauperibus, ut pro eo beneficium impetret precibus, vel intercessionem ab Episcopo? R. Quod si pactum, conventio, promissio, aut conditio intercedat, ex quibus aliqua obligatio dandi eleemosynam insurgat, tunc erit simonia: quia revera pecunia traditur, ut hac via beneficium obtineat, quod proprie est parare viam ad assecutionem beneficii interventu rei temporalis, in quo simonia consistit; si vero nullum adsit pactum, promissio, aut conditio, censendum est gratis eleemosynam conferri, ubi nulla est simonia, saltem externa. Sed donationes similes ambientium officia, beneficia, aut dignitates valde suspectæ, & periculosæ sunt.

PUNCTUM V.

De contractu emptionis, & venditionis requisito ad simoniam.

26. Unum ex principalibus requisitis ad simoniam est contractus emptionis, & venditionis: per quod quilibet alius contractus non gratuitus intelligitur, sive nominatus, sive innominatus, sive pactum inducens aliquid vinculum. Unde ad in-

Tom. II.

currendam simoniam, non requiritur præcise formalis intentio dandi, aut recipiendi temporale, ut pretium rei spiritualis; sed sufficit, ut res spiritualis detur pro temporali, aut e converso, aut pro pretio, aut sub pacto, aut compensatione, aut motivo principali, sive intentio sit formalis, sive virtualis. Tunc erit intentio virtualis, quando temporale datur, ut per illud spirituale valeat adipisci, nec daretur, nisi spirituale putaretur, advenire. Igitur quoties nec ratio stipendii locum habet, nec redemptio vexationis licita, nec ratio laboris extrinseci, benevolentie, honestæ amicitie, virtuosæ gratitudinis, propinquitatis, & de facto datur temporale intuitu rei spiritualis, aut pro illa, erit vera simonia, si autem revera, & coram Deo detur pro aliqua ex assignatis rationibus, non erit tale; nisi alias sit a jure prohibuitur, ut in examinatoribus. Pro majori horum intelligentia:

27. Inq. 1. An qui dat rem temporalem tanquam motivum proxime obtinendi spirituale, aut e contra, vel ut gratuita compensatio pro spirituali, ut simoniam committat? Resp. affirm. Constat ex propositionibus 45. & 46. ab Innocentio XI. proscriptæ. In quarum prima dicebatur: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat, tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit sola gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* In altera: *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut ut illud pluri æstimetur, quam res spiritualis.*

28. Inq. 2. An licitum sit temporale tradere pro spirituali ex mera gratitudine, benevolentia, & amicitia? Resp. Quod absolute loquendo, si revera coram Deo habeas sinceram intentionem dandi ex pura gratitudine, benevolentia, aut amicitia absque eo, quod exterius quidpiam significetur, nulla est simonia: quia tunc solum est motivum virtutis gratitudinis: verum quia in praxi valde difficile est hanc sinceram intentionem habere, ideo cavenda est hujusmodi traditio pecuniæ, quam propter hoc periculum prohibent absolute sacri canones. Colligitur autem

li

in

in foro externo elargitionem fieri non gratis, sed ex formali, vel virtuali intentione dandi temporale pro spirituali, ex tribus, nimirum: personæ dantis; & accipientis: quantitatis; & qualitatis muneris: & temporis, & occasione, qua datur.

29. Inq. 3. An si quis spirituale gratis conferens v. g. beneficium, principaliter intendat munera, obsequia; aut commoda temporalia consequi; aut e contra talia munera, & obsequia gratis exhibens, principaliter consequi spiritualia intendat, ibi simonia committatur? R. affirmat. Tum quia resolutio contraria proscribitur ab Innocentio XI. in propositione 46. Tum quia, cum principaliter, & primario intendatur consecutio beneficii, virtualiter conferuntur dona, ut pretium beneficii, quod manifeste simoniacum est. Si vero talia munera, quæ conferuntur, alias debita sint ex aliquo titulo honesto, v. g. iusti stipendii, aut sustentationis ministri, non erit simonia ob illa rem spirituales præstare; imo nec peccatum mortale, sed solum veniale ob inordinationem, quam includit. Unde Missam dicere propter stipendium, ad chorum ire propter distributiones, quædam inordinatio est, non tamen mortalis, sed venialis: sicut qui elemosinam, jejunium, aut aliam poenitentiam propter vanam gloriam exerceret, minime peccaret mortaliter.

30. Qui susciperet ordines ea intentione, ut obtineat beneficium propter proventus ex eodem procedentes, simoniam mentalem committeret: quia per res spirituales, ut sunt ordines, paratur via ad temporale principaliter intentum, & est abusus suspensionis ordinum, tamquam mediolorum ad temporalem proventum præcipue intentum. Idem est de illo, qui Missam celebraret, chorum adiret principaliter propter lucrum temporale.

31. Inq. 4. An simoniam committat, qui in pactum deducit antidoralem obligationem? Ut si dicas: hanc rem spirituales, vel beneficium tibi liberaliter, & gratis dono; dummodo mihi liberaliter, & ex gratitudine hæc obsequia, vel hæc munera redones; vel e contra? R. Hujusmodi conventiones, & pacta esse simoniaca: quia non donationes, & remunerationes, sed permutationes simoniacæ sunt: includunt enim hæc contractum, *do, ut des; factio,*

ut facias. Aliunde si in hoc casu non esset simonia, nulla usura, simonia ve daretur juri naturali repugnans, quam non possit quisquam tali contrahendi formula declinare. Si res temporalis debeatur ex titulo justitiae, v. g. sustentationis ministri, potest de illa pacisci, ut annui redditus pro anniversariis, & fundatione cappellanarum. Verum licet virtus gratitudinis adeo speciosa, & commendabilis sit; pactum tamen de illa, licet antidorale, in hac materia est foedissimum, & poenitus relegandum.

CAPUT II.

De rebus spiritualibus, quæ materiam simoniae constituunt.

Actum est capite præcedenti de materia temporali, quæ habet rationem pretii in simonia: nunc de materia propria illius, circa quam versatur, agemus, qualis est res spiritualis tradenda, commutanda, aut vendenda, quod sequentibus punctis explanabitur.

PUNCTUM I.

De gratia sanctificante, sacramentis, & sacramentalibus.

32. Inq. 1. An gratia sanctificans, aliaque res per essentiam spirituales sint materia simoniae? R. Quod gratia, & alia dona spiritualia per essentiam, per se, & in abstracto sumpta, nequeunt esse materia simoniae, nec emi, aut vendi possunt: quia sub sensibus secundum suam essentiam non cadunt: nec ullus habet dominium, ut ea in alios transferat, ut ex se patet. Cæterum si in concreto sumantur, possunt vendi, aut emi ad venditionem alterius, vel per aliud: ut ad venditionem subjecti, in quo hæc dona reperiuntur, vel ad venditionem causæ illarum: & tunc erit simonia: puta si quis venderet Sacerdotem ratione consecrationis, aut characteris; si Christianum, quia gratia Dei ornatum: & hoc modo Eucharistiam vendere simoniacum est. Quod etiam contingeret, si quis plures venderet rem temporalem spirituali annexam pro spiritualitatem, quam habent: ut si carius vendat

dat calicem consecratum, quia consecratum, aut ablutioem baptismalem; vel absolutionem sacramentalem, aut imaginem, quia miraculosam simoniae crimen patraret. Judas, dum Christum vendidit, horrendum sacrilegium commisit, secus proprie simoniam: quia solum de vendenda humanitate Christi cogitavit, non de divinitate, nec gratia unionis. Fuit tamen longe pejor Simone mago; hic enim gratiam miraculorum emere voluit; ille vero authorem omnis gratiæ vendidit.

33. Inq. 2. An venditio, aut emptio sacramentorum simoniaca sit? R. simoniam tam ex jure ecclesiastico, quam divino committere, qui dat, vel accipit aliquid temporale, ut pretium pro administratione sacramentorum: ut definitum est cap. cum Ecclesia, de simonia. Et idem est, si pretium pro materia proxima horum sacramentorum detur, ut pro absolutione, impositione manuum, consecratione &c. Ratio est, quia sacramenta, vel potestas ad illa, & exercitium eorum sunt res spirituales intrinsece, & in se, seu continent spiritualitatem supernaturalem sub illis signis exterioribus contentam, ordinaturque ad finem supernaturalem ex institutione Christi Domini, & sunt causæ effectus supernaturalis, ergo pro illis rem temporalem ut pretium dare est simonia ex jure divino, quæ nullo modo cohonestari potest.

34. Objic. 1. Nam in matrimonio videmus varia pacta, contractusque fieri absque simonia, erogata magna pecuniæ summa in dotem; imo & ignobilitatem per superadditam donationem compensari. erg. 2. Absolutio, maxime a censuris, multoties non datur, nisi soluta summa pecuniæ, & hoc absque labe simoniae: erg. 3. Quia Eucharistia in Missis conficitur; sed pro Missis celebrandis pecunia passim a Sacerdotibus petitur, & accipitur, quin nullus ut simoniacum id condemnet: erg. 4. Nam in casu magnæ necessitatis licitum est pro sacramentis dare: ut si Eucharistia esset apud barbaros, liceret eam pecunia redimere: si Sacerdos avarus non aliter vellet parvulum in extremis laborantem baptizare, nisi accepta pecunia, licitum erit mihi in ejusmodi casibus pro sacramentis pecuniam dare: erg. signum est non esse malum jure na-

turæ, & intrinsece sacramenta vendere, aut emere; alias numquam liceret, nec in ullo eventu honestari posset.

35. Ad 1. Objectionem respondetur: Quod matrimonium ut sacramentum nullatenus vendi, aut emi potest absque simonia, nec pro ejus administratione aliquid exigi valet; at ut est contractus, & nature officium pluribus pactis, & conventionibus subest: quia temporale pro temporali datur. Ita D. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. Ad 2. Respondetur: Quod in absolutione non exigitur pecunia ut pretium illius: sic enim vera esset simonia, sed in poenam delicti commisi: sicut potest in absolutione a peccatis id imponi in poenitentiam. D. Th. ibi ad 3. Ad 3. Respondetur cum D. Thom. ad 2. Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decurtandæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis, ut dictum est. Ad 4. Respondetur: in illis casibus non dari pecuniam, ut pretium sacramentorum, quod semper est illicitum; sed ad redimendam injustam vexationem, & ad subveniendum necessitati, tum ne Eucharistia apud barbaros conculetur; tum ne infans sine baptismo moriatur.

36. Inq. 3. An sit simonia pretium recipere pro sacramentalibus, vel pro eorum administratione? R. Sacramentalia ea dici, quæ ex institutione, benedictione, aut consecratione Ecclesiæ sunt spiritualia a potestate spirituali præcedentia, & ad finem spirituales ordinata, ut exorcismus, catechismus, consecrationes, benedictiones, & calix consecratus, aqua benedicta, aut consecrata, ecclesiastica sepultura, ad quæ reducuntur reliquæ sanctorum, & illarum ostentationes, & demonstrationes. Hinc respondetur esse simoniam juris divini, & humani pretium recipere pro sacramentalibus, sive pro eorundem exercitio, & administratione: quia sunt res intrinsece spirituales a potestate spirituali procedentes, & ad finem supernaturalem ordinata.

37. Idem dicendum est de aliis functionibus ordinum, ut cantare solemniter Evangelium, servire Missæ, exercere minus acoliti, exorcista. Idem de divinis officiis, ut pro celebratione Missarum, horarum canonicarum pro exequiis defun-

etorum, pro processionibus publicis, Idem de orationibus tam publicis, quam privatis: quia etiam quatenus impetratoriae, satisfactoriae, meritoriae de congruo, sunt res spirituales, & ad finem spiritualem ordinatae. Sic D. Thom. q. 100. art. 3. sed hoc non tollit, quod aliquid pro his muneribus petatur, non per modum pretii, sed ratione laudabilis consuetudinis, per modum eleemosynae, vel ad sustentationem, necessariam ministrorum.

38. Inq. 4. An simoniacum sit vendere vasa sacra? R. Quod ea omnia, quae ante consecrationem, vel benedictionem valorem intrinsicum habent: ut calix consecratus, imago benedicta, reliquia argento, aut auro composita, patena consecrata possunt ratione valoris intrinseci, quem habent ex se, vendi absque simonia, dummodo pluri non vendantur ratione benedictionis, aut consecrationis, & ratio est: quia in his rebus non quod spirituale, sed quod temporale est venditur, quod quidem intrinsicum habent valorem, & hunc post consecrationem, aut benedictionem, non amittunt: ergo, sicut ante illam poterant vendi, aut emi, ita post ipsam absque ulla simonia. D. Thom. q. 100. art. 4. Sed nota, quod sacra vasa, ornata, aut imagines, si ad usus sacros vendenda sint, integra vendi possunt; si ad profanos, debent prius confringi, ita ut amittant consecrationem, aut benedictionem. D. Th. art. 4. ad 2.

PUNCTUM II.

De labore in administratione spiritualium, de actibus virtutum, & jurisdictionibus, ac de scientiis.

39. Inq. 1. An sit simonia aliquid recipere pro labore in administratione spiritualium? R. Duplicem laborem in his actionibus posse considerari: alium intrinsicum, ut est ille, sine quo valide, licite, ac decenter nequeunt similes functiones exerceri: alium extrinsecum, sine quo valide, licite, ac decenter possunt executioni mandari, ut si per tot leucas debeat sacerdos ire ad celebrandum: si missa tali hora, tempore, aut solemnitate sit canenda. Omnes asserunt pro labore intrinsico, sine quo sacrae functiones exerceri nequeant, nihil, absque simoniae labe,

recipi posse: quia talis labor est pars necessaria rei spiritualis, & adeo cum illa conjunctus, ut nullo modo valeat separari: licet enim talis labor temporalis sit, ita tamen intrinsece connectitur cum spirituali functione, ut unum moraliter censetur. Pro labore vero omnino extrinseco aliquid temporale, ut pretium recipere, nulla est simonia: quia talis labor extrinsecus est omnino temporalis, & per accidens cum spirituali connexus, sine quo actio spiritualis potest esse, & independentem ab illa est pretio aestimabilis.

40. Hoc non tollit, quod minister pro administratione rerum spiritualium, & pro labore, sive intrinseco, sive extrinseco possit aliquid temporale ex justitia petere, ut stipendium sustentationis: & quo major labor in his ministeriis suscipitur, eo majus stipendium debetur: & ratio est: nam sicut operario merces debetur, sic eis, qui in spiritualibus populo inserviunt debetur ex justitia stipendium sustentationis. Unde Matth. 10 dicitur: *Dignus est operarius mercede sua.* Quod late probat Apostolus 1. ad Corinth. 9. Exemplo militis, agricolae, & pastoris. Quod non tollit gratis spiritualia ministrari: siquidem non exigunt quidquam tamquam ministerii pretium: quia hoc utpote omni pretio excellentius, gratis praestant; sed sustentationem a populo exigunt sibi necessariam, ut ipsi populo tale ministerium gratis exhibere queant. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3.

41. Ex quo inferitur, quod titulo sustentationis potest aliquid temporale recipi pro Missis, concione, Ecclesiarum consecratione, visitatione, funeralibus, & similibus juxta consuetudinem in Ecclesia receptam, & canonum dispositionem, etiam si ministri sint divites, quia pauperes, & divitiae extranea omnino sunt ministerio. Qui amplius exigit, quam est taxatum, injustitiam committit, & ad restitutionem tenetur; item ut simoniacus censendus, ad minus in foro externo. Similiter contra justitiam operantur clerici, qui ex officio tenentur sacramenta populis ministrare, cadavera sepelire, funera celebrare, & alia hujusmodi ministeria, & alijunde habeant ex Ecclesiae redditibus congruam sustentationem, si haec omitant, nisi nova eis stipendia porrigantur. Unde scandalum non leve populo Christiano

tiano praebent, qui pauperum cadavera vix sepelire, volunt, nisi stipendia prius conferantur, & de his paciscuntur, non secus, ac de merce venali. Vae illis!

42. Inq. 2. An pro exercitio, aut omissione virtutum exigere aliquid temporale sit simonia? Virtutum actus alii sunt potestatis ordinis, ut absolvere, canere Evangelium. Alii jurisdictionis, ut excommunicare, dispensare. Alii ceterarum virtutum, ut orare, jejunare, eleemosynas tribuere: de his ultimis sermo nunc est. R. 1. Quod, si haec virtutes dirigantur in finem supernaturalem, est simonia aliquid temporale pro earum exercitio exigere: quia est quid spirituale; si vero ad finem corporalem tantum ordinantur, ut possunt ordinari omnia opera misericordiae corporalis, tunc nulla erit simonia: quia illud corporale, ad quod ordinantur, est praetio aestimabile. D. Thom. a. 3. ad 2.

43. R. 2. Quod omissiones, quae regulantur a potestate aliqua spirituali, suntque illius usus, & exercitium, pro illis pretium exigere simonia est, ut pro non absolvendo indigno, non dispensando sine causa, non corrigendo, non eligendo: quia hujusmodi omissiones sunt quid spirituale, cum sint usus, & exercitium potestatis spiritualis; omissiones vero, quae ad potestatem aliquam spiritualem non reducuntur, pro eis pretium accipere, non est simoniacum, ut non orare, non dare eleemosynam, non ingredi religionem, non audire confessiones, non dicere sacrum, evangelium non canere, & negatio cujusque actus spiritualis pertinentis praecise ad ordinis potestatem: quia ibi non venditur aliquid spirituale, sed naturalis usus libertatis. Igitur distinguere oportet inter actus, & omissiones, ac etiam inter ipsas omissiones; nam solum est simonia pretium accipere pro omissionibus, quae fundantur in jurisdictione spirituali.

34. Nota, quod illi, qui dant pecuniam pauperibus, & religiosis, ut pro ipsis orent, vel aliquid obtineant; non intendunt emere illos actus virtutum, sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocare ad hoc, quod pro eis gratis, & ex caritate orent. Ut inquit D. Thom. ibi ad 2.

45. Inq. 3. An sit simonia vendere, aut emere actus jurisdictionis potestatis ecclesiasticae? R. Quod, sive actus pertineant ad

potestatem jurisdictionis quoad forum conscientiae, ut absolvere, sive ad forum externum, ut dispensare in votis, in legibus, irregularitatibus, impedimentis, absolvere a censuris, visitare, judicare, condemnare, & aliis similibus, pro his omnibus quidquam accipere, simonia est: quia hujusmodi actus spirituales sunt, & ex parte causae, quia a potestate spirituali ecclesiasticae proveniunt: & ex parte finis, quia ad finem spiritualem animarum ordinantur: & multoties ex parte effectus, ut absolutio sacramentalis. Quare, qui audit confessiones, aut non absolvit, aut leviores imponit poenitentiam, propter pecuniam, simoniacus est. Similiter simonia est quidquam exigere pro licentia audiendi confessiones, absolvendi a censuris, pro concessione indulgentiarum, pro facultate dispensandi in votis, juramentis, pro assistentia Parochi ad matrimonium contrahendum, pro electione, collatione, confirmatione beneficiorum, pro visitationibus, correctionibus, & pro quocumque actu ecclesiastici iudicii.

46. Objicit, quod romana Curia pro dispensationibus in legibus ecclesiasticis, ut in impedimentis matrimonii, pecunias accipit, & quo propinquiore sunt gradus, eo major pecuniae summa exigitur, & ad majorem numerandam divites, quam pauperes adstringuntur, ergo signum est pro his, & similibus actibus aliquid recipere non esse simoniam. R. Ex triplici capite liberari a labe simoniae potest stylus Curiae romanae. Primum ad sustentationem status Pontificii. Secundum, imponendo summam per modum poenae, quam Pontifex potest piis operibus, ut revera efficit, applicare. Tertium per modum commutationis, sicuti licitum est votum commutare in aliquam eleemosynam. Et hinc est majorem summam exigi ob difficiliorem dispensationem, quia majus est vinculum, quod commutatu. Hac ratione ex duobus ultimis capitibus, non ex primo, possunt Episcopi aliquid recipere in piis operibus distribuendum; non vero ex primo titulo: quia sufficientes habent fructus pro sua, & suorumque officialium sustentatione. Trid. sess. 24. cap. 6. & sess. 25. cap. 18. de reformatione.

47. Inq. 4. An sit simonia pro usu scientiarum pretium accipere? R. Scientiae se-

cum dum se vendi nequeunt, cum resideant in intellectu; bene vero communicari aliis valent medio organo corporeo. Unde usus, & communicatio omnium scientiarum naturalium potest impertiri aliis pro pretio absque simonia: quia licet scientia sit res spiritualis, est tamen mere ars naturalis, & ad finem supernaturalem minime ordinata. Idem dicendum est de Theologia sacra, prout in scholis traditur ad erudiendos auditores; quia etsi ex principiis supernaturalibus proficiscatur, tamen sola industria, & labore humano traditur, neque ad justificandos auditores dirigitur. Ceterum pro ipsa Theologia acquisita, si ve infusa, qua docetur, & prædicatur Evangelium, & doctrina Christiana, fidelesque instruuntur in æternæ salutis negotio, quidquam accipere simonia est: quia ejusmodi res sacra, & supernaturales censentur, procedunt enim ab homine, ut est organum, & instrumentum Spiritus sancti. Sic D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 2.

48. Ex quo inferitur 1. pretium recipere pro concessione Magisterii, vel Doctoratus non esse simoniam: quia nihil spirituale continet, sed solum est quedam publica approbatio ad docendum, & consequendum cum aliquibus privilegiis omnino temporalibus. Quod verum est, etiam si hæc collatio a potestate ecclesiastica proveniat, ut in religionibus institutio Lectoratus artium, vel Theologiæ potestate jurisdictionis Prælatorum: quia hoc non provenit a jurisdictione ecclesiastica, ut spiritualis est, sed ut politica, cujus est officia temporalia instituire. Inferitur 2. Non esse simoniam aliquid exigere pro munere docendi catechismum, & instruendi in fide, prout fit in scholis, aut pro consilio, seu responso morali doctrinaliter traditis; bene vero si hæc tradantur concionando, vel exhortando in ordine ad perfectum spirituales: quia in primo casu non ordinantur ad finem supernaturalem, sed ad instructionem, & eruditionem; in secundo ad talem finem proxime ordinantur. Verum recipere aliquid pro concione, non ut pretium, sed ut elemosina, & per modum sustentationis non est simonia: nam & ipsi Apostoli sic faciebant, dignus est enim operarius mercede sua.

PUNCTUM III.

De simonia, quæ committi potest in ingressu religionis.

49. Inq. 1. An sit simonia aliquid temporale exigere pro ingressu in religionem? R. 1. Non esse simoniam aliquid exigere pro alimentis, victu, & vestitu pro anno novitatus: quia hoc nullo jure prohibetur; immo a Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 16. de reformatione permittitur: dicit enim: *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque pretextu, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.*

50. Resp. 2. Simoniam esse juris naturalis, divini, & positivi, aliquid recipere pro ingressu monasterii, & potiori jure pro professione religiosa: Sic in 7. Synodo, quæ est Nicæna 2. Canone 19. & præcipue Innocentius III. in Concilio Lateranensi 4. cap. 30. & 40. de simonia. Sic D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Et ratio est, quia assumptio habitus religiosi, & religiosa professio est quid spirituale; ergo exigere pro illo quid temporale erit simonia juris naturalis, & divini. Deinde quando lex Ecclesiæ aliquid fieri vetat ob præsumptionem simoniæ juris divini, simul efficit, ut ejusdem legis transgressor fiat reus simoniæ juris ecclesiastici.

51. Resp. 3. Non esse simoniam aliquid exigere ab ingressuris in monasterium, si istud sit tenue, & insufficiente ad alendos religiosos, non ut pertium ingressus, sed ut stipendium ad sustentationem. Quia hoc nec ex jure divino, neque humano prohibetur: cum hic non detur temporale pro spirituali, non enim venditur ingressus, aut professio, sed pro sustentatione religiosi, quod est quid temporale, stipendium exigitur; & sic datur temporale pro temporali. Deinde nullus adest textus expresse prohibens monasteriis pauperibus aliquid recipere pro sustentatione ingredientis. Ita D. Thom. ubi supra ad 4.

52. Inq. 2. An in divitibus monasteriis aliquid recipere pro ingressu religiosorum, vel monialium titulo sustentationis sit simoniacum? Circa hæc difficultatem duplex versatur sententia: prima est affirmativa-

Cap. II. De rebus spiritualibus, quæ materiam simonia constituunt. 255

mativa, quam abunde probant ejus patroni antiquioribus Ecclesiæ disciplina, & legibus innixi; in pluribus quippe Conciliis, decretisque Pontificiis olim severe est prohibitum aliquid recipere pro ingressu in monasterium; præcipue si ejus opes pro victu ingredientis sufficiant; ut post alia Concilia sancitum est in Trident. Sess. 25. cap. 3.

53. Secunda sententia per oppositum negat esse simoniam exigere, aut recipere titulo sustentationis dotem, vel quid simile pro ingressu in monasterium, etiam locuplex. Hanc ut probabiliorē in hodierna Ecclesiæ disciplina defendunt Patres Salmanticenses; illam vero nimia libertate laxam, falsam, & scandali plenam vocitat Pater Concina Tom. 10. pag. 66. n. 18.

54. Sed quantum excedat in sua censura patebit ex sequentibus. Primo, quid Sacerdos etiam dives potest exigere, & recipere stipendium pro sacrificio Missæ titulo sustentationis, ergo ex eodem titulo possunt Prælati aliquid recipere pro ingressu religionis, esto monasterium sit locuplex. Patet consequ. celebratio enim Missæ est actio magis sacra, quam admissio ad religionem. Si igitur Sacerdos dives nullius simoniæ est reus in acceptione stipendii, quia non illud accipit ut pretium, sed ut subsidium proprii victus; cur Prælati quidquam accipientes pro ingressu religionis, rei erunt simoniæ, dum illud, non ut pretium, sed ut subsidium monasterii, ac victus ingredientis accipiunt? Imo si accipere aliquid pro ingressu in religionem esset simonia, ex nulla paupertate posset honestari, ut patet in usura, quæ nulla paupertate excusari valet.

55. Deinde esto monasterium hodie sit opulentum, decursu temporis ad magnam inopiam redigitur, ut experientia quotidie demonstrat, ergo prudens, & licita est acceptio subsidii, ne in extremam pauperiem deveniat. Unde licite, & prudenter procedunt Superiores aliquid a novitiis, vel ab ingressuris accipiendo, ne sui conventus hujusmodi præjudicia patiantur. Non semel vidimus, sed & fecimus admittere omnino gratis ad habitum. Aliud tamen est, quod sic aliquando optime fiat, aliud, quod ita semper fieri debeat.

56. Præterea communis praxis omnium, vel fere omnium monasteriorum, tam fra-

trum, quam monialium id ipsum testatur, assentientibus Episcopis, & ipso summo Pontifice. In omnibus enim cujuscumque ordinis monasteriis consuetæ dos publice solvitur, etiam Romæ, quin inde aliquod scandalum oriatur, vel in eo ulla doctrinæ laxitas appareat. Nec ad rem videtur adduci celestis doctrina S. Theresiæ, quia hæc ut magistræ omnis virtutis hortatur ibi ad perfectissimam paupertatem suas filias; aliud autem est perfectionis, aliud obligationis; sed questio non est de perfectione, sed de obligatione, nec dubitatur quid sit perfectius, sed quid sit licitum: Ergo doctrina majoris perfectionis ad rem non adducitur. Ultra quod evangelicæ paupertatis exemplar loquitur ibi de conventibus pauperissimis a se fundatis; in talibus vero etiam ipse Concina tenet posse exigere dotem; non ergo adducitur ad rem illa doctrina.

57. Deinde Benedictus XIV. in suo atheno opere de Synodo lib. xi. cap. 6. per totum hæc sententiam Salmanticensium, quam sacrarum Urbis congregationum responsis corroboratam appellat, amplectitur, summaque eruditione probat, atque illustrat, oppositum inprobandum, & refulens. Unde prædicta Salmanticensium doctrina non jure capitur tamquam laxa, & scandali plena, cum responsis sacre congregationis sit corroborata. Sed parcat nobis P. Concina, si inremur, cur censura adeo acri inurat Salmanticensium doctrinam. Si talis est, ut mereatur approbationem sacrarum congregationum, & doctissimi Pontificis Benedicti XIV. poterat utique Concina suam censuram excusare, vel saltem moderari. Imo licet doctrina esset laxa, & Salmanticenses aliquando dormitaverint, debebant rationibus confutari, & media caritate corrigi. Quoniam non convenit jurgium, aut rixa inter nos; filii enim Sanctorum sumus. Sanctorum, inquam, Dominici, & Theresiæ, quæ ad declarandam lepide suam affectionem ad Dominicanos, jactabat se esse dominicam in passione. De solvenda dote duplicata pro moniali supernumeraria, 2. vel 3. Sorore in eodem Monasterio adsunt decreta S. Congr. videnda in Bibliotheca Ferr. verbo moniales, in Card. Luca, Gallemart, et aliis. Nota, quod monialis 21. de qua cap. 2. n. 11. constituit. Carmelitis Dis-

Discalceat. non dicitur supernumeraria ad dotem augendam.

PUNCTUM IV.

Alia dubia circa eandem materiam.

58. Inq. 1. An pro ingressu religionis possint exigi propinæ? R. Ex Benedicto XIV. loco citato, ubi post exortationem ad Episcopos, ne in suis Synodis improbant dotem Monasterii tribuendam, sic prosequitur num. vi. "Illud autem curabit Episcopus, ne ultra præfinitam dotem Monasterio pendendam, alia pecunia summa a puellis extorqueatur in monialium commodum, aliosve usus impendenda, qui ad puellæ sustentationem nequaquam pertinent, id quippe, cum nulla ratione coherere valeat, adhuc remanet sub censura. Extravag. 1. 1. de simonia, extra comm. Ubi Urban. V. utriusque sexus regularibus districte inhibuit, ne ante, aut post cuiusquam in religionem ingressum quoscumque pactus, prandia, seu cænas, pecunias, jocalia, aut res alias, nequam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquomodo præsumant. Hæc laudatus, ac eruditus Pontifex."

59. Inq. 2. An præfata prohibitio comprehendat etiam ea, quæ a puella ingressura, vel ab ejus parentibus, consanguineis, vel amicis sponte donantur monasterio, religiosis, vel earum cappellanis, aut famulis? R. Nihil de donatione omnino gratuita in citatis juribus decerni, solum enim prohibent petere, exigere, aut extorquere aliquid ultra præfinitam dotem ad puellæ sustentationem. Sicut igitur a Sacerdote pro sacrificio Missæ nihil valet ultra stipendium taxatum, vel solitum exigere, si vero ei duplicatum, vel majus stipendium titulo devotionis, consanguinitatis, aut amicitie sponte tribuatur, potest ab illo accipi, ita pariter in præsentibus.

60. Verum præ oculis habenda est dispositio Concilii Trid. qua decernitur integre restitui debere novitiis egredientibus omnia ab eis accepta, si ad notabilem quantitatem pertingant, exceptis expensis pro victu, & vestitu, ne hac occasione a libero egressu retrahantur.

61. Cavendum etiam est, ne in ingressu, aut professione adsint concentus musici, cantinellæ, comessionatus, prodigæ expensæ, profanivæ apparatus, quæ potius vanitati, atque mundanæ voluptati, quam devotioni, & edificationi deserviant. Hæc omnia penitus a vestitionibus, & professionibus monialium sibi subjectarum eliminavit D. D. Josephus Rodriguez de Arellano Archiepiscopus Burgensis quadam egregia Pastoralis, in qua severe prohibuit monialibus etiam Parentes, & consanguineos novitiæ admittere ad crates ad hyusmodi solatia. Eadem in Pastoralis præscribit zelatissimus Præsul, ne novitiæ pro exploranda voluntate, an libere velint profiteri, a monasterio foras exeant: quæ omnia adeo sunt laudabilia, ut pro communi doctrina accipi, & observari optime valeant. Curandum igitur est, ut omnis prophanitas in ingressu, & professione novitiarum vitetur: arceantur vana, superflua amputentur, & abusus pro viribus evellantur, ne divina mundanis, sacra profanis misceantur. Potest autem permitri, quod per acta devote ecclesiastica functione, parentes novitiæ, aut ejus consanguinei, & aliæ personæ graves moderato temporis spatio sibi invicem ad crates congratulentur, atque in Domino lætenter congaudeant.

62. Inq. 3. An inducere donis ad ingressum religionis sit simonia? R. Sub distinctione; vel enim dantur dona sub pacto, vel sine ullo pacto. Primum est simonia, non vero secundum; quia dum aliquid sine ullo pacto datur, est donatio liberalis. Unde optime agunt Matres incitanda filios munusculis ad recipienda sacramenta, & ad alia devotionis opera; & optime ageret quisquis donis, & beneficiis aliquem ad religionis ingressum provocaret, ut expresse docet D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. et alibi.

63. Imoliceat interveniat aliqua conventio, seu pactum, sine obligatione tamen promittenti imposita, non esset simonia aliquem ad meliorem vitam, vel ad religionem donis, & beneficiis inducere, quia nec sic donatio desinit esse liberalis, admodum quo eleemosyna datur religiosis, aut aliis pauperibus, ut eorum orationibus benefactoribus impetretur a Deo bona spiritalia, aut temporalia æternæ eorum salutis congruentia, ut ait D. Th. ibi ad 2.

64. Con-

Cap. II. De rebus spiritualibus, quæ materiam Simonie constituunt. 257

64. Confirmantur duplici numero præcedenti dicta ex cap. 2. de conditionibus apposis, ubi decernitur valida, ac impleri præcipitur libertas, seu manumissio mancipiis concessa sub conditione, ut monachi fiant, & in monasterio perseverent. Item ex cap. final. 23. q. 6. ubi conceditur domino gravare mancipium infidele oneribus utique justis, ut ad fidem convertatur, & promittendo levamen ab illis, si eam amplectatur. Idem fit cum Judæis, qui, si convertantur, fruuntur privilegio exemptionis gabellarum, quas etiam ipsi romano Pontifici Romæ persolvunt.

PUNCTUM V.

De simonia in collatione beneficiorum.

65. Inq. 1. An sit simonia jure divino vetita beneficia conferre intuitu emolumentum temporalis? Pro resolutione dubii notandum est, quod in beneficiis ecclesiasticis & datur jus ministrandi spiritalia, quod dicitur officium, & jus percipiendi temporalia emolumenta propter spiritalia administrata, quod appellatur prebenda, vel beneficium, quod propter officium datur: & compositum ex utroque jure dicitur jam communiter beneficium: hoc notato:

66. Resp. 1. Esse simoniam jure ecclesiastico vendere beneficia, etiam si secundum jus ad temporalia emolumenta præcise vendantur: quod clare constat ex innumeris textibus juris canonici prohibentis omnes onerosos contractus in Ecclesiasticis beneficiis, præcipientisque, ut pure, & simpliciter conferantur. Nota, quod Prælatiæ religionum sunt velut beneficia ecclesiastica quoad jus spirituale ministrandi spiritalia, quoad jurisdictionem, & animarum curam, quam important. Unde non solum ex jure positivo, sed etiam ex jure naturali tales Prælatiæ prætio comparare est simoniacum: quapropter quod de beneficiis dictum fuerit, eisdem proportionabiliter applicari debet: licet absolute non sint proprie beneficia.

67. Resp. 2. Esse simoniam ex jure divino, beneficia, quæcumque illa sint, vendere, non solum secundum jus ad spiritalia, sed etiam intuitu solius temporalis emolumentum: proindeque super hoc cadere non

Tom. II.

posse dispensationem, etiam a summo Pontifice. Quoad primam partem est evidens, quia jus illud quid spirituale est; vendere autem aliquid spirituale jure divino prosum prohibuitur est. Quoad secundam partem est sententia D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. in corpore. Ubi apponit S. Doctor discrimen inter ea, quæ sunt spiritalibus annexa antecedenter, ut in calice consecrato, in quo temporale, nempe materia præcedit consecrationem, & inter ea, quæ sunt annexa consequenter, ut in beneficiis, ubi emolumentum temporale consequitur ad jus spirituale: de his autem hæc docet: Hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritalibus: & propter hoc ea nullo modo vendere licet quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritalia venditioni subiecti. Quod etiam constat ex jure canon. cap. Si quis objecerit 1. q. 3. his verbis: Qui horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, nihil incenditum relinquit. Ex quibus conficitur hæc ratio: jus beneficiale ad temporalia emolumenta ita annexum est ad officia spiritalia, ut separari nullo modo valeat; idcirco, qui unum vendit, & alterum vendat, necessum est; sed vendere jus spirituale apud omnes jure divino simoniacum est, ergo etiam erit si precise vendatur jus ad temporales redditus.

68. Objic. sæpe beneficia auctoritate Pontificis (& olim Episcopi) de uno in alium transferuntur cum onere alicujus pensionis: hoc autem est quadam virtualis venditio beneficii: quia datur cum pacto oneroso, ut alius pensionem solvat. Maxime quia postea valet illa pensio redimi; ergo ab initio potuisset eo compensari, & sic illo pretio beneficium emi, ergo.

69. Resp. Quod jus ad temporales redditus potest considerari ut conjunctum cum jure spiritali, & ut dicit ordinem, & respectum ad illud: quo pacto nullo modo vendibile est propter dicta; & potest considerari ut separatum a tali jure spiritali, & sine ullo respectu, & ordine ad officium spirituale: et hoc modo potest summus Pontifex jus percipiendi beneficiales fructus dissociare, & separare a jure ministrandi spiritalia: & tunc illud jus vendere non erit simoniacum: quia jam tale jus fit mere temporale, nullum habens ad spirituale respectum, ac ex consequenti proprie non dicitur ecclesiasticum beneficium. Quæ sepa-

Kk

ratio

ratio tribus modis fieri potest: auctoritate solius summi Pontificis, qui solus est dispensator supremus omnium bonorum ecclesiasticorum. Primus est, si redditus assignentur laicis pro ministerio temporali exercendo: ut quando Regibus, aut aliis decimas applicuit pro defensione fidelium ab infidelibus. Secundus, extinguendo spirituale officium, vel obligationem ad illud; quo modo jus ad redditus remanet vendibile, sicut quaelibet alia jura temporalia: Tertius, imponendo pensionem super aliquod beneficium ecclesiasticum, quam separat ab illo, per quod fit temporalis. Quo pacto nihil spirituale, sed temporale pro temporali venditur.

70. Inq. 2. An vendere habitus, & commendas ordinum militarium sit simonia? R. 1. simoniacum esse vendere habitum ordinum militarium, qui datur Religiosis choro, & divinis officii deputatis; quia de illis idem iudicium faciendum est, ac de venditione alterius habitus religiosi. Similiter venditio commendae spiritualis, quae scilicet officium spirituale habet annexum, simoniaca est, sicut venditio cujuslibet beneficii ecclesiastici.

71. Resp. 2. Non esse simoniam vendere habitus, aut commendas æquitum militarium: quia hujusmodi dantur propter honorem, & emolumentum temporale, quamvis tradantur personis religiosis: Titulus enim omnino secularis est. Peccant tamen contra justitiam saltem distributivam, qui hæc vendunt: quia agunt & contra finem, intentionemque fundatorum, & contra bonum commune reipublicæ, & illius religionis militaris, debent enim hæc conferri illis, qui in Christianæ reipublicæ defensionem præliati sunt. Possunt hujusmodi commendæ dari a Rege, vel Magistro cum onere exhibendi aliquod temporale ministerium, v. g. ire in Africam; quia hoc videtur onus illi annexum. Similiter imponere aliquam pensionem in subsidium militiæ, vel alicujus militis particularis habita ratione justæ distributionis, & finis ipsarum commendarum. Tandem potest Pontifex ex justa causa Regi concedere venditionem ejusmodi commendarum, aut habituum, præcipue si pretium in majorem utilitatem militiæ convertatur.

72. Inq. 3. An prestimonia, vel pensiones vendi, vel redimi possint sine simonia?

Pro resolutione supponimus pensionem esse *jus percipiendi partem fructuum, alicujus beneficii Pontificis auctoritate consignatum*. Unde facultas imponendi pensionem soli summo Pontifici per jus positivum reservata est. Quamvis hoc non possit pro suo arbitrio, & absque legitima causa; quia imponere pensiones super beneficio est actus facultatis dispensatoris, non dominativæ: dispensatio absque justa causa dissipatio est, non dispensatio. Causæ autem generales sunt Ecclesiæ utilitas, & Christi D. major cultus, ad quas ceteræ reducuntur: ut paupertas clericorum pensionarii, aut bonum pacis inter litigantes.

73. Supponimus 2. Quod pensio potest accipi multipliciter. Alia est pensio erecta in titulum beneficii, ut prestimonia, seu beneficia simplicia, de quibus, cum sint vere, & proprie beneficia, non est hic sermo. Pensio, quæ vere, & proprie est talis, dividitur in *laicalem, clericalem, & mixtam*. *Laicalem* est, quæ indiscriminatim conferri potest & laicis, & clericis, quia ordinem non supponit, neque ad aliquid spirituale ordinatur. *Clericalis* illa est, quæ ex omni parte est ecclesiastica, quia in subjecto supponit ordinem, & ad spirituales functiones ordinatur: ut quæ dantur coadjutori Episcoporum, canonicorum, Parochorum, aut visitatori. *Mixta* est, quæ in subjecto ordinem supponit; sed datur titulo prorsus temporali, & ad functionem omnino temporalem, quæ non datur in titulum beneficii, sed pro beneficio: & est quadruplex: quæ datur clerico pauperi, ut alatur. 2. Parocho seni, & impotenti. 3. Resignanti beneficium pacifice possessum. 4. Uni litigantium circa beneficia ob bonum pacis. His positis:

74. Resp. 1. Vendere pensiones clericales jure naturali, divino, & humano simonia est, ut omnes fatentur: quia induunt rationem beneficii ecclesiastici. Vendere vero pensiones laicales nullo jure prohibitum est: quia nihil spirituale continent, nec illi aneantur. Idem dicendum est de pensione, quæ assignatur pro sustentatione clerici pauperis, quod non est materia simoniæ: quia non ob officium clericale, sed per modum alimentis sustentationem datur.

75. Resp. 2. Vendere alias pensiones mixtas, quæ non in titulum beneficii, sed pro

Cap. II. De rebus spiritualibus, quæ materiam simoniæ constituunt.

259

pro beneficio dantur, simoniacum est: quia ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Ex primo*: omnes pensiones recensitæ annexæ sunt titulo spirituali, omnesque clerici pensionarii adstringuntur recitare officium parvum B. Virginis, ideo nec vendi, nec redimi absque simonia valent. Quæ Bulla recepta est in Hispania. Sed nota, quod etiam ex stylo Curie hujusmodi pensiones invendibiles, & irredimibiles sunt; & oppositum facientes, ut simoniaci puniuntur.

PUNCTUM VI.

An jus patronatus vendi, & alienari possit absque simonia.

76. Tribus modis juris dispositione acquiritur jus patronatus, ut commune habet axioma: *patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*: ex privilegio quoque Papæ, aut ex multiplicatis presentationibus, quæ excedant hominum memoriam: Aliis etiam tribus modis potest jus patronatus ab uno in alterum transferri, nempe *jure hæreditario, donatione, & cum re vendita*. Extra hos tres modos a jure canonico præscriptos, nullo alio transferri potest jus patronatus, ut tenet Abbas in *cap. Quanto, de consuetud.*

77. Hoc autem jus patronatus considerari potest, ut honorificum, onerosum, & utile. *Honorificum* propter honores exhibendos patronis. *Onerosum*, quia ad patronum expectat defendere Ecclesiam, ne ejus bona dilapidentur. *Utile*, quia si patronus pauper fiat, & Ecclesia abundet, debet patrono suo potius, quam aliis subvenire. Secundum has considerationes jus patronatus non est materia simoniæ; quia mere temporales sunt, & per se nullam connexionem habent cum spiritualibus. Idem dicendum est de quibusdam juribus, quæ patronatus appellantur, ut ad subveniendum foeminis nobilibus, ad redimendos captivos. Quæ licet ad opera pia ordinentur, quæ neque ex principio, neque ex actu spiritualia dicantur, vendibilia sunt citra simoniæ vitium. In præsentem ergo loquimur de illo dumtaxat jure patronatus, quod Ecclesia patronis concessit presentandi ad aliqua beneficia, an tale jus sit vendibile?

78. Resp. 1. Esse simoniam vendere

jus patronatus, de quo loquimur, saltem jure positivo: Et constat ex *cap. De jure vero patron.* Et *cap. Præterea*; ubi expressè id prohibetur. Quare in nullo humano contractu, vel solutione, aut compensatione rei temporalis haberi potest ratio ad augendum præteritum juris patronatus: nam eo ipso venderetur. Unde si annexus sit fundo, vendi potest ratione rei, cui inhaeret: dummodo fundus pluris non vendatur ratione juris patronatus; si personæ inhaeret, tunc nullo modo ad alios transire valet.

79. Resp. 2. Vendere jus patronatus esse simoniam nedum ex jure ecclesiastico, sed etiam ex jure divino: quia jus illud est spirituale: tum quia procedit a potestate ecclesiasticæ jurisdictionis, cum ab ea sit institutum: Tum quia finis illius est spiritualis, nempe obtinere beneficium ecclesiasticum, & potestatem jurisdictionis ecclesiasticæ; tum denique, quia actus illi juri correspondens est spiritualis, nimirum præsentatio ad beneficium spirituale, per quam præsentatus fit proxime capax ad institutionem beneficii, ergo.

80. Nota, quod vendere jus illud, quod habent aliqui patroni ad præsentandum duas, vel tres moniales, quod vulgo dicitur: *Plazas de presentacion*, ut absque dote recipiantur, non est simonia, tam inspecto jure ecclesiastico, quam divino. Licet perperam facerent patroni, si tale jus ob lucrum vile temporale venditioni subjicerent. Et horum ratio est, quia ex una parte nullibi prohibetur ejusmodi venditio, nam jura, quæ supra adduximus, solum loquuntur de presentatione ad beneficia, non vero de presentatione ad habitum religiosum, & non debent de uno in aliud extendi. Ex alia parte hoc jus non est primo, & per se, ac principaliter institutum respectu spiritualitatis, quæ est in habitus susceptione, sed ad supplendum illud temporale, quod propter ingressum potest peti titulo sustentationis.

PUNCTUM VII.

De simonia ob venditionem sepulturæ.

81. Inq. 1. Quid sit sepultura ecclesiastica? R. Est *locus concavus in ecclesiastico cœmeterio factus, in quo corpus catholici conquiescit*. Per *ly* cœmeterio

intelligitur Ecclesia, cappella, claustra, & omnia alia loca consecrata, aut benedicta, & ad sepulturam fidelium ex designatione Episcopi deputata. Unde sepultura ecclesiastica locus est religiosus, ob idque gaudet immunitate Ecclesie.

82. Inq. 2. An sit simonia vendere sepulturas, vel jus, ut tali loco, aut parte Ecclesie nullus præter illum, qui emit, aut ejus successores, sepeliatur? R. Quod si talis locus benedictus, aut consecratus, & sic ad sepulturam destinatus ratione benedictionis venderetur, aut pluris venderetur, esset jure divino, & naturali simonia: quia res spiritualis venalis redderetur. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. At si sepultura tali modo benedicta non ratione benedictionis, sed ratione terræ, aut soli, in quo sita est, venderetur, sicut emit Abraham ab Ephron terram nudam ad sepulturam. Genes. 23. licet non esset simonia de jure divino, aut naturali, sicuti calicem vendere ratione materiæ, ex qua factus est, tamen est de jure ecclesiastico, & sic malum, quia prohibitum: cap. Abolenda, de sepultur. cap. non satis, cap. Ad vivimus de simonia.

83. Sed pro tali loco sepulturæ possunt stipendia accipi, non ut pretium illius, sed ut elemosyna ad sustentationem ministrorum Ecclesie, sicut pro Missis recipitur, vel ad conservationem fabricæ, & cultus divini: quia æquum est, quod defuncti, qui in templo inhabitant, ad ejus reparationem, & ornatum concurrant: vel quia expensæ in ea factæ exiguntur, præscindendo a spiritualitate. Etiam pro loco honoratioris sepulturæ plus accipi potest, ut pro capella majori, meliori loco, commodiori, & digniori: quia solum venditur honor, ut pendet ex hominum æstimatione, qui per accidens rei spirituali conjungitur. Etiam potest recipi pretium pro perpetuo jure sepulchri, id est pro ea obligatione, ut nullus præter eum, vel ejus successores in tali loco admittantur: quia tale jus proprietatis quid temporale est, & per accidens conjunctum spirituali. Idem, quod dictum est de sepulturis, cum proportionem dicendum est de cappellis, quæ solent sæcularibus dari pro usu sepulturæ.

CAPUT III.

De actionibus, pactis, aut conventionibus simoniaciis.

Dictum est de simonia secundum materiam, quæ illam constituit, nimirum tam ex parte pretii temporalis, quam ex parte rei spiritualis simili pretio comparatæ, quæ sunt quasi partes, ex quibus contractus simoniaci coalescit; nunc agendum est de illis actionibus, quæ circa has materias exercitæ talem contractum constituunt: earum quippe notitia pro quotidiana praxi est multum necessaria.

PUNCTUM I.

De redemptione vexationis per pecuniam.

84. Inq. 1. An post adquisitum jus in re, vel ad rem spiritualem, vexationem circa illud pecunia tollere sit peccatum? Pro resolutione nota, quod *ius acquisitum* est debitum ex justitia commutativa, quod alio nomine dicitur *ius in re*: & hoc accedit, quando res habetur de facto, & est appropriata habenti jus, licet interdum non possideatur: ut qui electus est ad beneficium, & habet jus ad collationem a Superiori legitimo, licet possessionem non habeat. *Jus acquirendum* est aliquando jus, debitum quidem, sed ex justitia distributiva, aut ex vi alterius virtutis, & hoc dicitur *ius ad rem*: & potest esse, vel remotum, ut est illud, quod oppositor dignus, aut magis dignus habet ad beneficium: Vel proximum, quod habet electus, aut presentatus, nondum tamen confirmatus, aut institutus.

85. R. Ex D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. Postquam *ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta remove.* Quod habetur in cap. Dilectus 1. de simonia, cap. Quasitum 1. q. 3. Et ratio est, quia sic redimens vexationem pecuniam non tradit, neque tradere potest pro re spirituali, quam jam habet, sed pro injuria, quam injuste patitur, repellenda. Imò nec talis aliquod peccatum committit, quia alterius injuste actioni cooperetur, sed rem bonam facit utendo jure suo, ut alius ab injusta illa vexatione

Cap. III. De actionibus, pactis, aut conventionibus simoniaciis. 261

desistat, & suum jus jam quasitum conservet indemne. Sicut de dante, & usurario injuste recipiente dictum est, & sic in utroque casu propter injuriam recipientis datur ipsi danti repetitio, ut docet glossa cap. Dilectus 1. de simon.

86. Sed advertendum, quod redemptio vexationis licita est, quando jus quasitum est plenum, certum, & indubitatum, saltem apud peritos, & quando vexatio est injusta; si enim jus dubium sit, & circa illud quis vexetur, non licet vexationem pretio redimere, nec etiam quando jus est certum, sed juste ab alio vexatur. Unde quoties dubium sit de valore electionis, præsentationis, aut institutionis, & lis intentatur, non potest licite, & absque simonia redimi pretio hujusmodi vexationis: tum quia jus non est certum, tum quia vexatio injusta non est. Similiter ut hujusmodi vexationis redemptio licita sit, requiritur, quod auferatur per aliquid temporale: quia illam tollere per dationem alicujus spiritualis simoniacum est; eo quod daretur aliquid spirituale pro temporali immediate, & per se, nempe pro redemptione vexationis.

87. Inq. 2. An sit simonia pecunia redimere vexationem injustam circa possessionem beneficii? R. neg. Si vexatio sit circa factum; e contra vero si sit circa jus. Quando jus certum, & inconcussum est, nihilque spirituale acquirendum superest, tunc possessio in solo facto consistit: hoc autem est omnino temporale, pro quo pretium datur. Si vero jus ad possessionem in dubium verteretur, tunc simoniacum esset pretio vexationem redimere: quia jam non per se sola redimeretur possessio, sed ut annexa juri, & sic per se ipsum jus redimeretur, quod erat infirmum, ut firmum fieret, & stabile. Nota, quod possessio beneficii non est aliquid spirituale, sed declaratio quædam forensis, qua publicatur huic hominem habere beneficium, supposito titulo collationis, & jure ad percipiendos fructus ratione illius.

88. Inq. 3. An redimere vexationem ante jus acquisitum in re spirituali sit simonia? R. affirm. Sic D. Thom. ubi supra his verbis: *Dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem,*

simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.

89. Hæc resolutio D. Thom. intelligenda est, quando vexatio intentatur ab eo, qui obesse, & prodesse valet eligendo, vel confirmando: tunc pecunia redimere talem vexationem simonia manifesta est: quia tunc pecunia aperitur via ad beneficium obtinendum. E contrario, quando vexatio provenit ab illis, qui obesse, sed nullo modo prodesse queunt, tunc nulla est simonia per pecuniam removeve injusta obstacula calumniarum, seu accusationum: quia isti privati nullam partem in conferendo beneficio habent, ergo pecunia ista non parat viam ad beneficia, sed dumtaxat removet exteriora obstacula injusta. Nota tamen, quod si adultus in extremo vitæ nequeat baptizari, nisi ab eo, qui sine pecunia non vult baptizari, potius debet mori sine baptismo, quam dare pecuniam: quia potest salvari baptismo flammis. At qui haberet curam infantis in eodem extremo constituti, & nequiret aliter baptizari, nisi dando pecuniam pro baptismo, posset licite aquam emere, vel pecuniam dare ad redimendam injustam vexationem, & obstaculum avaritiæ tollendum, cum aliter infans nequeat salvari. Vide D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 1.

90. Inq. 4. An sit simonia tradere electoribus pecuniam, ut desistant ab electione indigni, vel ut omisso digno eligant digniorem? R. 1. Licetum est dare pecuniam electoribus, ut desistant ab indigni electione, imò etiam ab electione digni, si sint alii digniores: & ratio est, quia Ecclesia jus habet acquisitum, ut non eligatur indignus ad beneficium, imò nec dignus in conspectu dignioris; aliter vexationem injustam patitur circa sumum acquisitionem jus, ergo licitum erit eam pecunia redimere. Maxime quia in hoc casu obligatio pecunie nihil aliud est, quam electores avocare a peccato illo gravissimo, quod parati sunt committere, quodque muneribus removeve minime est illicitum.

91. R. 2. Non esse simoniam dare pecuniam, ut positive eligatur dignus, vel dignior in communi, non determinanda aliquam personam: & ratio est, quia hoc idem est, ac si daretur pecunia, ut non eligatur